









XXVII

34

ΠΡΟΠΕΜΠΤΙΚΑ

Quibus

Virum Clarissimum, Consultissimum,  
Humanissimum

DN. IOHANNEM STVRMIUM

Felicissimum Inclutæ Servestanæ Reip.

Syndicum

BERNBURGUM

Ut ibidem

Volente ita ac Vocante

Illustrissimo ac Fortissimo Princi-  
pe & Domino

DN. CHRISTIA-

NO Principe Anhaltino Comite Ascaniæ  
Domino Servestæ ac Bernburgi, &c.

Consilarii aulici functionem suscipiat  
discessurum

*Fausi ominis ergo*

Gratulabundi prosequuntur  
Amici & Affines

Excudebat Zacharias Dörffer.

ANNO M. DC. XIX.







[Faint, mirrored text bleed-through from the reverse side of the page, including names like 'JOHANNES STEINMANN' and 'KONSTANZ'.]





Parodia Pindarica

Ex ode ultimâ olymp:

Ἔδομονος ἑρφικόν, κῶλ: ιη χιζ



ὦν Αλβικῶν ὑδάτων λαχοῖσα  
Ναιτωσαίτε καλλιζυθον ἔδραν  
ὦ λιπαρῶν τεῆσι (ὦ) χαρίτεσι  
Πρόνοια τῶν Σοράων,  
Χθονός τε ἔρανίων Ἰδπίσκοπε

Κλυθ' ἐπεὶ ἔυχομαι.

- \* χεῖρς ἐκ σῆς τὰ τερπνὰ καὶ τὴ γλυκέα
- \* γίνεται πάντα βροτοῖς,
- \* εἰ σοφός, εἰ καλός, εἴ τις ἀγλαός
- ἀνὴρ ἔτε γδ τυχαῖ
- ἔα' ἐννεσιᾶν ἄτερ
- κοιρανέοισα βροτῶς
- ἔτε τιμίας. ἀλλὰ πάντων
- ταμία ἔργων ἐν ἔρανῶ
- Ἄφθιτόν τοι θεμένη
- Θρόνον, ἐν χθονὶ σεβόντεςιν πρῶν
- ἔρανόμακες ἀτρεκῶς κλέ-
- ος αὖψ κλέθ' διαλήης

Τὰ ιζ αὐτῆ κῶλα

Ἦ ἦες Σοράων, φιλοσίτεχνοι  
κωθόνιοι, (σο)φοῖτε λεκτῆρες  
Ἐπάκοοι νῦν, ἀέρες τε ἑ-  
ρασίμολποι ἰδόντες ὕμνον  
τόνδε, ἐπ' ὀμνρεῖ τύχα.  
Πινδαρικῶν εὐφρονοῖτ' ἀν-  
δρα Σίξερμιον ἐν τερπῶ,  
ἐν μελέεσσιν αἰείδων

μέλλον



Μόλον. Αρκτορέα ἔνεπα ἔπλε' ὀλβία ἦδη  
Σεῦ ἕκατι. μελαντρεχέα πόλιν  
Κωθονίας ἴθι. Αχοῖ,  
Πατρὶ κλυτὰν Φέρροισ' ἀγ-  
Γελίαν ὑπατῶν τε ὀπλαινόισα  
Τοκῆ εἶπε οἱ υἱὸς ὡς  
Βελαφόρος, δ' ὀξυπ' ἀρχῆ  
Χριστιανοῖο, ἀξιώματ' ἀδελῶ  
Κέκασο ἀνδρός.

*Domino Compatri & Amico meo ho-  
norando fausta appreciationis  
ergo hymnum hunc con-  
secravi*

M. Marcus Fridericus VVendelinus  
Gymnasii Servestani

Rector.



*Parodia eadem Jambicis Senariis*

*Latinis reddita.*

**S**ortita quæ undas Albicas, Cerevisiæ  
Præstantia quæ nobilem sedem incolis  
Patrona, Anhalto quæ præes cum Gratiis  
Tuis, adesto dia Providentia,  
Terrestriumq; præses & cælestium  
Rerum, preces audito, quas fundo, pias.  
Jucunda quævis dona, dona splendida  
Tuâ offeruntur è manu mortalibus,  
Seu sit bonus vir, sive quis sit splendidus  
Prudensvé. Namq;, quæ Dea esse creditur,

Non



Non absq; nūtu cæca vel regit tuo  
Mortalium res quaslibet, vel temperat  
Fortuna honores. Ipsa sed rerum omnium  
Curam geris Patrona. Perpetuam licet  
Altissimo locaris in cœlo tibi  
Sedem, tuum in terra tamen colentibus  
Numen vicissim, qui ipsa tangit sidera,  
Benigna tu confers honorem & gloriam.

O Filii Sorabum, ô amantes artium  
Cothonienses, Berneburgenses cari,  
Audite nunc, audite vos Poëtices  
Divinæ amantes hocce carmen omine  
Faustoq; currens & metro mollissimo,  
Audite. Pindaricis ego rarissima  
Virum eloquentia atq; consiliis gravem  
Metrisq; versibusq; S T U R M I U M canens  
Adsum. Beatum nempe Bernburgum nimis  
Te propter est: age Civitatem, quæ nigros  
Agros habet, Cothoniam, Echo adi pede  
Celerrimo, apporta parenti nuncium  
Latissimum. Quin conspicata consulem  
Ibi parentem dic ei, quod Filius  
Munus dein subire Consiliarii  
Autoritate Principis celsissimi  
Fortissimiq; Christiani debeat.

*Vertente*

*M. Petro a Jena*

*Schole Servestanae patria*

*Rectore.*



JOANNES STURMIUS

ἀναγραμματισμὸς

NESTORIUS ANIMUS:

*Evolutio Anagrammatismi Epigrammatica:*

**N**I me Pythagoræ fallunt arcana renati,  
Corpora quæis animas fatur inire nova,  
Cælestem quondam defuncti Nestoris auram  
Crediderim, STURMI, corpus inisse tuum.  
Fallor? Nestoream an prodit facundia mentem,  
Dulcius hybleo quæ tibi melle fluit?  
Fallor? An arcanum doctis tua nomina produnt?  
Joannes ANIMVS Sturmiu NESTORIVS.  
Ergo Agamemnonidem quondam ut mellita bearunt  
Consiliis divi Nestoris ora ducem:  
Sic tute (ingenio næ digna brabæa beato!)  
Nestoreâ Ascanidem mente beato ducem.  
Ille velut vitæ fuit à cornice secunda  
Exemplum: Exemplo sic tua vitæ fiet,

M. Marcus Fridericus Wendelinus.

Quid



Idem Anagrammatismus.

**Q**uid vari decus eloquii miraris, Et illa  
Stupenda dona STVRMII?

Nestorius constantem animus qui cernitur imo  
Locasse sedem in pectore,  
Hoc vari decus Eloquii dedit, indidit ille  
Dotes stupendas STVRMIO.

M. Petrus à Jena.

ALIUD.

**U**Sq; adeò angustis nescit præclara locorum  
Constringi spaciis Doctrina, nec incluta veræ  
Gloria virtutis novit conclusa latere,  
Quin tandem erumpat, quantumvis pressa, magisq;  
Surgat, & occulto velut arbor germinet ævo.  
Ingenii certè illa tui vis vivida, STURMI,  
Jamdudum manifesta sui documenta laboris  
Edidit, & variis, quam sedulus ante Lyceis  
Quæsieras, multo emicuit cum fœnore virtus.  
Vix tandem patrias remeâras sospes ad oras,  
Pectoris ecce tui dotes fœcundaq; mentis

Dona



Dona penu promis de divite. Scilicet istas  
Vidit & obstupuit juvenili in pectore vires  
Patria, de tali quæ dum gratatur alumno  
Læta sibi, celeri vicinas fama per urbes  
It pede, doctrinæq; tuæ studiūq; celebris  
Nuncia, quæ summis mox te commendat & imis,  
Unde tuam non una suis Republica votis  
Ambit opem, Te quæq; suum vult esse Patronum.  
E multis SERVESTA placet, quam providus unam  
Eligis, huic operamq; tuam, studiumq; locare  
Visum, hanc aggredieris linguaq; juvare styloq;:  
Hic quæ præstiteris per senos gnaviter annos  
Haud animus vena complecti paupere. Nota  
Sunt satis. Atq; utinam Pietas & Candida mens &  
Quæ de re quavis oblatâ ritè diserto  
Differere ore potest, promptæ Facundia linguæ,  
Dexteritas utinam illa animi, Gravitasq; decora  
Cæteraq; ô utinam ingenii prælustria dona  
Non ita nota forent! Haud tristis Curia rarum  
Haud tristis Schola lugeres carumq; Patronum.  
Sed nunc ad graviora Deus te munia poscens  
Vult, EINSIDELIO prælustri Præside, vera  
Nobilitate, gravi doctrina usuq; senili  
Cui peperit reperitq; parem haud vicinia, fanis  
Consiliis celsi CHRISTIANI ut Principis oram  
Ascanii moderere sagoq; togâq; potentis.  
Sanè dignus eras, tanti qui Principis aulam


Con-



Consiliis juvisse tuis, juvisse labore  
Debebas vigili: nec quisquam pectore sortem  
Invidet hanc, Vir magne, tibi: Quin omnis amica  
Istos mente tibi potius gratatur honores.  
Si modò si nobis tandem pia Fata Patronum  
Monstrarent alium, qui dexteritate labores,  
Qui candore pari posset tractare fideq;  
Quos numero varios gignit, quos pondere magnos  
Curia, quæ multis cumulata est curia curis.

At tu, quas humeris Heros fortissimus istis  
Imposuit partes, age suscipe fronte serenâ,  
Suscipe, quam Deus ipse dedit fausto omine sortem.  
Interèa *SERVESTA* tuis infixâ medullis  
Hæreat, atq; mei fac usq; recurrat imago.

*Eiusdem.*



A L I U D.

**Q**uò te fata jubent abire, dulcis  
Affinis, sequere, I pede haud morante:  
Servestanâ, age, Curiâ relictâ:  
I, quò fata trahunt secunda: Namq;  
Fata nolle sequi est movere bellum  
Iehovæ. Ast abeas ita, ut tamen sit  
Nostri haud immemor usq; mens amica.

B

Inte-



*Interim tibi Ego, tuæq; sorti  
Grator ex animo: Diu valetō,  
Et cum conjuge liberisq; caris  
Vive ô Nestoreos superstes annos,  
Et complectere pristino me amore.*

Johannes Hamelius,  
Reip. Servest. Senator.



A L I U D.

**S**TURMI, delictum Musarum ac juris ocellæ,  
Flos Themidos, sancti lux veneranda fori.  
Siccine abis STURMI, veteresq; relinquis amicos,  
Hic ubi Servestæ confluit unda Nutæ?  
Siccine abis nostros nunquam rediturus ad agros,  
Estne tibi nostri nausea facta soli?  
Te lecti, & merito, lugent ex ordine Patres,  
Quorum lumen eras, præcipuumq; decus.  
Te cives lugent, te Curia luget ademtum,  
Atq; afflictorum pars bene magna gemit.  
Jura dabas, legesq; æquas, & publica amabas  
Commoda, justitiæ ferre paratus opem.  
Quin decidebas, & causas candidè agebas,  
Unde tuæ sensit plurimus artis opem.

Curia



Curia testis erit, quæ te mirata loquentem,  
Vidit & eloquii dona stupenda tui.  
Testanturq; usi te defensore clientes,  
Atq; patrocinio causa peracta tuo.  
Orarum mystam, rarumq; hoc tempore juris  
Præconem! rari hoc tempore quippe boni,  
Namq; aliter longè rabularum factio vivit,  
Qui venalia habent omnia, corda, manus.  
Qui ducti exigui persæpe cupidine lucri  
Perversam reddunt, quæ bona causa fuit.  
Hincq; sibi largam promittunt copiam honorum,  
Scilicet his rebus præficiuntur <sup>ovoi</sup>.  
O miseras hominum mentes! quin plurima patrant,  
Quæ non sunt titulis congrua facta suis.  
Nec nisi causa Lucrum: ô quid non mortalia cogis  
Pectora cæca auri cæca cupido lucri!  
At quando triti spes nulla affulserit auri,  
Actum est, & causâ Lisq; Cliensq; cadunt.  
At tibi, qui injusto corradis nomine gazas,  
Eripiant partas ventus & ignis opes.  
Longè aliter de te sed judicat aula potentium,  
Qui te non tinctum his moribus esse vident.  
Es pietatis amans, observantissimus æqui,  
Laudibus his implet Solis utramq; domum.  
Urbibus inservis, inservis providus aulis,  
Es gratus ducibus, principibusq; viris.



Scævola leu redeat, redeat seu Papinianus  
Lumina qui veteris magna fuere fori  
Non tamen audebunt meritam tibi demere famam,  
Sponte fatebuntur te decus esse Dices.  
Tanta adeò polles doctrina, & munere fandi  
Ingeniiq; adeò dexteritate tui.  
Idcirco magni te suscipit aula Dynastæ,  
Usura eloquio consilioq; tuo:  
Commendatq; tibi secreta negocia rerum,  
Arbitrio, STURMI, discutienda tuo.  
Auspice abito DEO, Spartam, quam nactus es, orna:  
Ito, adsint cœptis fata secunda tuis.  
Ito prælustri Sturmî caducifer aulæ,  
Ito sacratæ præco diserte Dices.  
At tu Gnate DEI, mystæ qui nomine gaudes,  
Fac longum hic Themidos mysta superstes agat.

*debita gratitudinis ergò faciebat*

*M. Martinus Cramerus*  
*Schola Patriæ Collega.*



AD

DN. JOHANNEM STURMIUM  
Compatrem & affinem suum  
honorandum, &c.

*C*ompater eximiâ virtute ac arte polite,  
*Quem soleo veri fratris amare loco.*

*Quon-*



*Quando Patrem, costæq; meæ deploro sorores,  
Symposio docto cogor abesse tuo.  
Ergo da veniam absenti, atq; ignosce vocato,  
Et pro me versus accipe queso meos.  
Accipe deductos sincero è pectore versus,  
Quos in discessum mittere Musa parat.  
Nonne tuum pectus tibi saltat? gaudia nonne  
Sentit? nonne Deo mens pia vota facit?  
Dum tua sollicito conjunx carissima partu  
Liberâ, nunc natum tractat alitq; suum.  
Te Deus, & sobolem servet cum Matre recentem,  
Insuper & lecti cætera dona. Vale.*

Æximia Virtutis tuæ  
Cultor perpetuus

Fridericus Hamelius  
Civis Servestanus.

---

ALIUD.

**D**um Servestanum, cælo invitante, pererro  
Arva, quibus liquidas Nuthula flectit aquas,  
Ecce Themis gressu sese tulit obvia eunti,  
Atq; suo tales protulit ore sonos:

B 3

Curia



Curia vestra jacet, dum STUSMIUS ille celebris  
Immutat sedem, Curia vestra jacet.  
His mea Musa simul miseris commota querelis  
Addubitat tamen, an fama probata fiet.  
Ipsa fidem fecit res nunc manifesta loquelis,  
Ascanis hunc ad se dum vocat aula virum.  
Ergo, mi STURMI, cui fas æquumq; bonumq;  
Cordi, & sinceræ religionis amor.  
Siccine discedens tam tristia pectora linquis,  
Affines, proceres, splendida membra fori?  
Spes mihi, te longo mansurum tempore, sacri  
Qui nobis monstret flumina juris, erat.  
Spes nihil est, alias dum rite vocaris ad oras,  
Vir virtute nitens, vir pietatis amans.  
O quantâ erroris Servesta in valle vagaris,  
Dum pateris tantum tam citò abire virum!  
Qui fuerat quondam ceu firma columna Senatus  
Nostri, & præclarum lumen in urbe fori;  
Bernburgum è nostrâ nunc est regione vocatus,  
Huic Princeps credit munia sancta sua:  
Scilicet ut justum decernat, fontibus æquas  
Irroget ut pœnas, utq; sit umbra bonis.  
Maeste tuis meritis, clementeq; principe gaude,  
Facq; Deo nunquam displicuisse queas.  
O urbs Bernburgum, quâ nunc te laude coronem,  
Quæ talem & tantum nunc es adepta virum!

Con-



Confilio venit, ecce, potens, virtuteq; præstans  
STURMIUS, Aſcanii gloria magna ſoli.  
Hunc igitur gratâ Bernburgum amplectere mente,  
Qui venit hic, Domino namq; favente venit.  
Ergo Juſtitiaæ columen, doctiſſime STURMI,  
Qui nobis veterè es junctus amicitia:  
Cum tua cara neget nobis reſponſa Themiſta  
Amplius, à nobis nunc & abire pares;  
Non poſſum (nec enim jam dicere vera pudebit)  
Quin tibi corde bono proſpera quæq; precer.  
Det Deus, ut maneat tibi ſana in corpore ſano  
Mens, quæ grata Duci ſerviat atq; Deo.  
Vive diu, nec vive mei precor immemor unquam,  
Te memori certè ſemper amore colam.  
Qualibus ex animo frater pro fratre ter alium  
Sollicitat precibus, qui regit aſtra, Deum:  
Talia perſolvo pro te, pro conjuge vota,  
Ut vitæ curſus floreat uſq; tuus:  
Utq; viam carpas dulci cum conjuge, natis  
Felicem: Voti ſumma ſit iſta mei.

*Eiusdem.*

F I N I S.







Cl 1926

ULB Halle 3  
001 556 118



Stk. 6 = Handschrift

Sb.

Paul Friedrich  
Buchbindereimeritor  
Merseburg a. S.

1017





